





1. Michaelis / Joh. Georg / diff. de viro stante  
inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller / Christoph Gottf. / diff. de genuina  
vorum xarakter et ypostasi notione,  
Lippie 1738.
3. Mosheim / Joh. Laur. / diff. de Jesu Christo  
vindice dogmatis de mortuorum ad  
vitam reditu, Helmst. 1740.
4. Müller / Gottfr. Ern / diff. de papolatrici.  
Lippie 1726.
5. Müller / phil. / diff. de jure Dei in Homines;  
jena 1707.
6. diff. de regno Israelis restauran.  
do, jena 1704.
7. crocodilus lachrimans, jena 1733
8. diff. de Jesu Christo Deandropo, jena  
1704.
9. ... / Cusp. Gottfr. / diff. de gloria  
... jena 1661.

11 10  
PIA MEMORIA  
JESU CHRISTI,  
EJUSQUE  
CRUCIFIXI,

*Ex Apborismo Paulino, 1. Cor. II. 2.*

SANCITA  
IN DISPUTATIONE INAUGURALI,

QUAM  
Ejusdem Crucifixi Ductu & Auspicio,  
EX DECRETO

VENERANDAE ET AMPLISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE,  
IN CELEBERRIMA ACADEMIA SALANA,  
SUB PRAESIDIO

*VIRI Magnifici, Maxime Reverendi, Amplissimi atque Excellentissimi*

**DN. JOHANNIS MVSAEI;**

SS. Theol. Doctoris & Professoris Publ. Primarii, Facul-  
tatis Theol. & totius Academiae Senioris gravissimi,

DN. PRAECEPTORIS ET PATRONI, OMNI OBSERVANTIAE CVLTV  
AETATEM PROSEQVENDI,

PRO LICENTIA

CAPESSENDI SUMMOS IN THEOLOGIA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA,

Publicae disquisitioni submittet

**JACOBUS FRIDERICUS** *Roth!*

Pastor & Inspector Dioeceseos Greufensis, & Consistorialis  
Eblebio-Schwarzburgicus,

AD DIEM XXIV. MARTII, ANNI MDCLXXXI.

---

LITTERIS MÜLLERIANIS.

RECUSA ANNO MDCCXXV.

10  
IN MEMORIA  
JESU CHRISTI

CRUCIFIXI

IN DISPUTATIONE

EXAMEN

DR. JOHANNIS M. S. S.

PRO LICENTIA


JACOBUS FRIDERICUS





I. N. 7. C. C.

## PROOEMIUM.



Cite Bernhardus Sermon. 13. in Cantic. *Hæc mea, inquit, est sublimior Philosophia, scire Jesum, & hunc crucifixum: Quæ, quanti æstimaverit Sanctus Abbas memoriam Christi crucifixi, suavissimi Salvatoris, abunde testantur. Neque sine causa tantopere gloriatus est de Jesu suo, ejusque cruce & merito: Crux enim & meritum Christi thesaurus est Christianorum, in quo reconditæ sunt omnes nostræ beatitudinis divitiæ: Christus crucifixus fons est, ex quo gratiæ atque consolationis divinæ rivuli uberrime in corda peccatorum fracta atque perterrita derivantur, ut saluberrime inde reficiantur, & ingenti animi lætitia exclament, ex Esa. XLV. 24. *In Domino Justitiæ meæ & robur.* Hinc bene Hilarius scribit lib. 9. de Trin. *Nescit vitam suam, qui Christum, ut verum DEum, ita ut verum hominem, crucifixum nostrum Salvatorem ignorat.* Neque vero solum gloriatus est laudatus Abbas de Jesu crucifixo, sed & de scientia ejus atque sublimiore Jesu Christi*

A 2

co-

cognitione, dum in eo gloriam suam positam esse, innuit, quod *sciat* Jesum crucifixum: Hæc enim scientia via est, quæ ducit ad patriam cœlestem, quod ipsum Salvator innuit, Joh. XVII. 3. *Hæc, inquit, est vita æterna, ut cognoscant te solum DEum verum, & quem misisti JESum Christum;* Ubi tamen notandum venit, non intelligi hic notitiam tantum historicam, sed salutarem, non otiosam, sed operosam, quæ est ipsa fides justifica, qua salutariter Jesum crucifixum apprehendimus, nobisque applicamus, ut per eum coram DEo justi & sancti simus: *Ipsè enim a DEo factus est nobis justitia & sanctificatio & redemptio.* 1. Cor. I. 30. Hanc ipsam de Christo scientiam tanti etiam fecit Apostolus, ut de se scribere non erubescat 1. Cor. II. 2. *Non me judicavi quicquam scire inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* Ex quo fonte Bernhardus ea, quæ paulo ante adducta fuere, hausisse videtur. Hunc locum Paulinum penitus paulo considerare, & occasione ejus doctrinam *de JESu Christo crucifixo*, ea, qua videre potest, brevitate, publicæ disquisitioni subicere decrevi. Jesus Christus crucifixus, cum Patre & Spiritu sancto in secula benedictus conatibus clementer annuat!

CA-

## CAPUT I.

## §. I.

**A**Ntequam vero ad intimiorem considerationem loci Paulini descendam, breviter ostendenda esse videtur occasio, qua ductus fuit Apostolus ad hæc verba versiculi secundi Cap. II. prioris Epist. ad Corinthios, quæ ex præcedenti Capite perspicitur: Scilicet in præced. Cap. I. 18. dixerat Apostolus; *Sermonem crucis, sive doctrinam Evangelicam de Christo crucifixo stultitiam esse illis, qui pereunt, i. e. pro stulta doctrina a Judæis & gentilibus haberi, quia non commendatur verborum pompa, nec orationis lenocinio gratiosa est, proponit insuper res, quæ non solum abjectæ apparent, ut extremam Christi in diebus carnis paupertatem, Christum cruore perfusum, cruci affixum, sed etiam illis, quorum oculi a Satana excecati sunt, non satis quandoque cohærere videntur; e. gr. quod Christus omnibus miseriis in hac vita expositus ab omni miseria mortales sit liberaturus, quod morte Christi vita peccatoribus, eaque æterna sit reparata: hinc in oculis infidelium stolidam erat doctrinam, quæ tamen illis, qui salvantur, potentia Dei est. Præterea docuerat Apostolus Cap. I. Deum in colligenda Ecclesia & conversione gentilium non attendisse mundanam sapientiam, cum nullus sapiens, nullus scriba, nullus disquisitor hujus seculi produci possit aut potuerit, qui mysterium de servandis per crucem Christi hominibus vel suspicari potuerit, vel vi rationis suæ consequi. Vers. 19. 20. Cap. I. *Quin infatuavit Deus sapientiam hujus mundi, quando eventu & reapse declaravit omnes conatus, omnes labores hominum, etiam acutissimorum, qui ratiocinationibus suis ex humanæ sapientiæ principiis viam consequendæ**

salutis aeternae invenire studuerunt, nullos esse, vanos & fatuos esse.

§. 2. Quia igitur Apostolus ad praedicandam hanc de cruce doctrinam a Deo missus erat, *cap. .I 17.* existimavit, disponendum esse ministerium suum ad naturam atque indolem doctrinae, adeoque significat *vers. 1. Cap. II.* se, cum ad Corinthios veniret, non venisse cum eminentia sermonis aut sapientiae, quando inquit *vers. 1. Et ego, cum venirem ad vos, fratres, non veniebam cum eminentia sermonis aut sapientia, annuncians vobis testimonium Dei.* q. d. Ego Apostolus Jesu Christi in tertio caelo edoctus cum venirem ad vos Corinthios, & in coetu vestro per sesquiannum Evangelium docerem, non veniebam in eminentia sermonis aut sapientiae, i. e. non promittebam acumine philosophico de rebus magnis me subtiliter disputaturum, nec, quae docebam vos, verborum phaleris ornabam, non venditabam genus dicendi ad nitorem humanae eloquentiae comparatum, non jactabam sapientiam humanam, quam Graecorum Philosophia profitetur, ut in hunc versum commentatur B. Hunnius: Talis enim docendi modus nec voluntati divinae, nec indoli Evangelii conveniens est.

§. 3. Versu secundo, quem explicandum mihi proposui, Apostolus porro facti rationem redditurus, cur scilicet non ornato dicendi genere usus sit in Evangelii praedicatione, dicit:

*ὃ γὰρ ἔκρινα τὰ εἰδέναι τι ἐν ὑμῖν, εἰ μὴ Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τὸν ἐσταυρωμένον. ἰ. e.*

Ut Versio Erasmi habet:

*Non enim me judicavi quicquam scire inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.*

Vel,



Vel, quæ Verſio Bezae eſt:

*Non enim ſtatui quicumque ſcire inter vos, niſi Jeſum  
Chriſtum, eumque crucifixum.*

B. Lutherus ita reddidit:

Denn ich hielte mich nicht dafür, daß ich etwas wiſſte unter euch, ohne allein Jeſum Chriſtum den Gekreuzigten. Quibus a ſubjectæ materiæ qualitate commonſtrat, recte a ſe factum eſſe, quod in Evangelio docendo non ſubtilioribus rationibus, aut verborum grandiloquio uſus ſit, cum non tales res propoſuerit Corinthiis ſuis, ubi ingenii acumine aut comto dicendi genere compenſandum ſit, quod vel gravitati rerum, vel utilitati, vel neceſſitati deeſt, ſed Jeſum Chriſtum, eumque crucifixum prædicaverit, ubi non opus eſt acumine humano, ſed ſufficit animus fidelis, *qui captivam ducat omnem cogitationem ad obediendum Chriſto.* 2. Cor. 10. Ex his occaſio ad dictum propoſitum facile perſpicitur.

§. 4. Cum nunc conſtet de connexionẽ dicti Paulini cum præcedentibus, & occaſione, qua in hanc ſententiam perductus eſt Apoſtolus, ad ipſam dicti, ejusque verborum enucleationem progredior: Singulis enim vocabulis accuratius conſideratis de ſenſu loci propoſiti facilius conſtabit: (1.) igitur particula *γὰρ*, *Enim*, hic occurrit, quæ connectit hunc verſum cum præcedente. Eſt enim Conjunctio cauſalis non ſemper cauſam rei denotat, ut oſtendit B. Glaſſius, *Gram. Sac. tr. VII. can. 17.* imo quandoque reduntat, hoc loco tamen cauſam ſive rationem ſignificat. Oſtendit enim Paulus, cur non venerit ad Corinthios cum eminentia ſermonis aut ſapientiæ, cur compto differendi genere apud ipſos non uſus ſit, quando testimonium DEi, h. e. doctrinam Evangelicam, in qua DEus de Filio ſuo teſtatur, (cur enim

enim per testimonium DEI cum Theophylacto in h. l. ipsam Christi mortem intelligamus, nihil causæ est) ipsis annuntiavit, quia scilicet hisce adminiculis non indigebat is, quem prædicabat Paulus, Jesus Christus scilicet, isque crucifixus, sive, quia incongruum fuisset, si DEI testimonium ornatu alieno & ascitito commendare voluisset Corinthiis, nempe terrenæ eloquentiæ splendore, aut humanæ sapientiæ acumine, ut loquitur B. Hunnius, *Comment. in 1. Cor. II. Cap.*

§. 5. Pergit Apostolus & (2.) dicit, *ἐκ ἕνεκα*. Vbi notandum, quod verbum *κρίσειν* h. l. non eodem modo reddatur ab Interpp. Beza modo reddit per *decernere*, modo per *statuere*, quod placet etiam Piscatori in h. l. Vulgatus, Erasmus & Tremellius vertunt, *judicare*, vel *existimare*: sive autem Bezam, sive Erasmus sequamur, sensus non adeo diversus resultabit. Juxta Bezam sensus huc redibit; Apostolum instituisse quasi deliberationem, quid potissimum annunciandum esset Corinthiis, & in consultatione ista tanquam optimum deprehensum esse, si annuncietur Christus Jesus, isq; crucifixus; Apostolum igitur animo constituisse, secum decrevisse, se ita inter Corinthios versaturum, quasi nihil sciret, nisi Jesum Christum, eumque crucifixum, solum hunc se annunciaturum, hunc se cum merito & satisfactione inculcaturum esse Corinthiis. Si vero cum Erasmo & Tremellio verbum *κρίσειν* reddatur per *judicare*, *existimare*, quam versionem cum B. nostro Lutero & aliis merito retinemus, sensus erit; Apostolum, licet alias res habuerit cognitatas, de quibus apud Corinthios differere potuisset, licet etiam valuerit eloquentia, non tamen existimasse suam vel scientiam, vel facundiam, Christi loco, Corinthiis obtrudendam, sed imprimis necessariam judicasse doctrinam de Christo, eoque crucifixo, judicasse commodissimum

mum esse, si ita se gerat, quasi nihil sciat, quam Jesum Christum, eumque crucifixum, existimasse nullius alterius rei cognitionem Corinthiis majori utilitate inculcari posse, quam Christi ejusque crucifixi, reliqua vero omnia, sive quibus superbit Judaismus, sive quæ ab homine, aut humanis viribus proficisci possunt, existimasse esse detrimentum propter eminentem scientiam Jesu Christi. *Pbil. III. 8.* Propter quem omnia damno duxerit, imo tanquam σκύβαλα reputare, i. e. juxta non nonnullos Interpretes, *quisquillas, rejectamenta*; juxta alios *stercora*. Theodoretus, & Theophylactus in h. l. vocem σκύβαλον, crassiolem & duriolem paleam reddunt. Hæc significatio verbi κρίνειν non solum saceris, sed etiam profanis Scriptoribus recepta est, e. g. Rom. XIV. 5. inquit Apostolus: ὅς κού κρίνει ἡμέραν παρ' ἡμέραν. i. e. judicat diem unum juxta Legem Mosis alteri præferendum esse, quod Beza reddit: *Alius quidem æstimat diem pro die, & in notis add. l. scribit: Inter cetera τὸ κρίνειν significat judicium ferre de re quapiam, quod quidem sine æstimatione fieri non potest, quum judicare nihil aliud sit, quam quanti rem aliquam facias vel tecum inire, vel apud alios dicere.* Eadem significatione reperitur alicubi apud Aristotelem, cum ait: κρίνεισι ταῦτα ἐν τέρασι *habent hæc pro monstris, i. e. judicant, existimant monstra esse.* Theophylactus in h. l. ita mentem Pauli exprimit: *Christus voluit, ut essem imperitus & simplex ego: atque istuc ego bonum esse judicavit, quod nihil externe sapientie scirem, præterquam hoc tantum, quod Christus Jesus crucifixus est, & quod eum vobis predicarem, ubi & ipse verbum κρίνειν in significato adducto accipit.*

§. 6. In proposito nostro dicto Apostolico porro dicitur, τὸ εἰδέναι τι ἐν ὑμῖν, *quicquam scire inter vos.* Ubi vetus Interpres addit pronomen ME, quod etiam insinuat

B

Syrus,

Syrus, ut sensus sit, non judicavi *me* quicquam scire inter vos. Sine hoc pronomine autem textum hunc legunt Tertull. *lib. de pudic. c. 14.* & Hilarius *l. 10. de Trin.* Cæterum testatur Estius *Comment. in b. l.* Esse quendam, qui ita verterit hunc locum; *Non enim quicquam ad cognoscendum delegi inter vos.* Hic interpret, quisquis tandem sit, attendisse videtur articulum *ἢ*, qui præponitur verbo *εἰδέναι*, quamvis Græci interpretes nullam hujus Articuli rationem habuisse, sed potius vim ejus dissimulasse videantur; imprimis cum etiam Codices quidam eum non agnoscant, ceu testantur, qui varias N. T. lectiones annotarunt: Sive autem addatur, sive dematur, sensus alius non videtur emergere, quam hic, qui supra indicatus fuit; Apostolum scilicet judicare, commodissimum esse, si ita se gerat apud Corinthios, quasi nihil aliud sciat, quam Jesum Christum, eumque crucifixum; vel juxta alios, Apostolum non judicasse, i. e. dissimulasse apud Corinthios, se quicquam scire, non declarasse, se aliud scire, quam Christum crucifixum.

§. 7. Progreditur Apostolus in allegatis verbis, & dicit, *εἰ μὴ Ἰησοῦ Χριστοῦ, nisi Jesum Christum.* Hisce Apostolus hoc vult dicere, *præcognitione Christi omnem sordere sibi Philosophiam*, una cum illo luxuriantis Eloquentiæ strepitu & apparatu, universam itaque scientiam suam solius & unici Jesu Christi cognitione terminari, hunc solum se duxisse prædicandum & nobilissimam Theologicæ suæ cognitionis partem in Jesu Christo repositam habere, tanquam salutis humanæ basi & fundamento, videatur B. Hunn. *in b. l.*

§. 8. Nominat autem Apostolus eum, de cujus scientia tantopere gloriatur (A) *JESUM*, quam vocem Hebraicam esse, nemo est, qui ignoret. Hebr. est *ישו*, quod nonnullis deducere placuit a nomine Dei essentiali *יהוה*.  
Sed

Sed obstat, (a) quod literæ in duobus hisce nominibus ישוע & יהוה admodum sunt diversæ (b) obstat ratio, quæ ab Angelo assignatur, Matth. l. 21. qua significat, Messiam nomen hoc habere a salvando: At vero si ישוע five Ἰησῦς est ex nomine יהוה, nomen non habet a salvando, sed ab existendo, quia יהוה est ab הוה extitit. (γ) nomen יהוה est nomen essentia, Deoque competit, tum quia ipse per se & a se existit, tum quia creaturarum omnium esse dependenter ab eo est: At nomen ישוע non essentia, sed officii nomen est, Christumque ab actu salvandi denominat: Hinc (δ) ratio quarta refultat, cur a יהוה non possit esse nomen Jesus, scilicet, quia יהוה Christo competit secundum divinam naturam, ישוע autem nomen officii est, quia Messiam ab actu salvandi denominat, adeoque secundum utramque naturam ei competit.

§. 9. Rectius itaque statuitur nomen Ἰησῦς esse ab Ebr. ישעujus Hiph. est הושיע, salvavit, ut Ἰησῦς vi vocis Salvatorem notet, quod clare innuit Angelus Matth. l. 21. Ut autem constet, quo sensu CHRISTUS Salvator noster vocetur, notandum est, quod ita appelletur non solum respectu eorum, a quibus genus mortalium liberavit, cujusmodi sunt, peccatum, accusatio Legis, ira Dei, damnatio æterna sed etiam respectu illorum, quæ passione, cruce, totoque merito suo nobis acquisivit, cujusmodi bona acquisita sunt gratia Dei, justitia coram Deo, peccatorum condonatio, vita & beatitudo æterna. Deinde sicut bona illa, quæ Christus humano generi virtute meriti sui procuravit, bifariam spectari possunt (a) ratione acquisitionis. (b) ratione applicationis: Ita Christus quoque JESUS five Salvator utroque respectu dicitur, ratione scilicet acquisitionis, quatenus promeruit hominibus, v. g. remissionem peccatorum & vitam æternam, &

*ratione applicationis*, quatenus beneficia morte sua & passione acquisita per media ordinaria, Verbum & Sacramenta hominibus offert & applicat. Denique Christus dicitur Jesus seu *Salvator OMNIUM hominum*, si meritum in se & acquisitionem spectemus: omnibus enim hominibus bona spiritualia acquisivit atque promeruit, quo tamen non obstante dicitur Salvator tantum credentium, quoad applicationem & salutarem fructum: cum tantum credentes per fidem fructus meriti Christi participes reddantur.

§. 10. Sed dices: Ipsum Christum vocari נִשְׁע, Salvatum, Zach. IX. 9. quomodo itaque Salvator dici potest? Resp. Pontificii quidem in hoc dicto se reperisse putant, unde corruptionem textus Ebraei probare possint, existimant enim pro נִשְׁע olim lectum fuisse מִשְׁע, successu vero temporis, sive Judæorum malitia, sive librariorum incuria pro litera ם positam esse literam ן, Jod vero penitus abjectum fuisse: Sed huic corruptioni adversatur Masoretarum diligentia, quæ testatur, olim quoque נִשְׁע lectum fuisse. Respondendum itaque est, participium נִשְׁע in allegato loco Zach. sumi active: Observant enim Philologi, verba, quæ in prima conjugatione non sunt in usu (cujusmodi verbum est etiam שֶׁע) in passivo quandoque activa significatione gaudere, ut ita נִשְׁע participium passivum hic sumatur active, & idem sit, ac salvans, Salvator, unde constat, quod l. c. Zach. 9. particip. נִשְׁע non obstat nomini JESUS, sed idem prorsus cum eo sit. Talia verba, quæ in prima conjugatione inusitata sunt, & in passivo active sumuntur, sunt quoque נִשְׁע, נִשְׁבַּע: imo quandoque verbum in prima conjugatione usitatum, in passivo active sumitur, ut Jer. II. 35. הִנְנִי נִשְׁפָּם אֶתְּךָ, *Ecce ego judico te.* Conf. Joel. III. 7. Juxta alios נִשְׁע Zach. 9. idem est ac salute circumdatus, invi-

invictus, qua ratione rursus non obstat hæc vox nomini  
JESUS.

§. 11. Hæc de primo nomine illius, de cujus scientia  
Apostolus in nostro textu gloriatur. (B) Alterum ejus  
nomen est *χριστός*, quod Græcum esse & unctum denotare  
omnes norunt. Est autem appellatio Salvatoris nostri, qui  
unctus dicitur, tum typica, tum propria, ut observat B. Ger-  
hardus *Loc. de Persona & offic. Christ. c. 1. §. 14.* Typica quidem,  
quatenus uncti V. T. nempe Sacerdotes, Reges & Prophe-  
tæ fuerunt typi Christi, unici nostri Sacerdotis, Regis &  
Prophetæ; Confer. Exod. 29. 7. 1. Sam. 10. c. 16. 13. 1. Reg.  
XIX. 16. Sicut autem Sacerdotes, Reges & Prophetæ V. T.  
præfiguraverunt tantum unctioe sua Christum: ita inter  
illorum & hujus unctioem magnum est discrimen; Et  
(1.) quidem ratione ejus, quo fuerunt uncti: In veteri enim  
Testamento unctio facta est oleo externo in hunc usum  
preparato: Christus vero non fuit unctus oleo externo, sed  
ipso Spiritu S. Conf. Esa. LXI. 1. (2.) In veteri Testamento  
unctio facta est per intermedias personas, Prophetas aut  
Sacerdotes: Christum vero unxit ipse DEUS. Ps. XLV. 8.  
(3.) In V. T. per unctioem denotata fuit adfistentia Spiritus  
S. unctus est, *ut tota plenitudo Deitatis habitet in ipso corporaliter.*  
Col. 11. 9. (4.) Discrimen est ratione temporis: Sacerdotes,  
Reges & Prophetæ V. T. non fuerunt uncti in utero mater-  
no ad officium suum: Christus vero in utero materno  
Spiritu Sancto unctus est. Propria vero ratio hujus appel-  
lationis, quia Salvator noster *Christus, unctus* vocatur, est,  
*quod oleo lætitiæ præ consortibus suis unctus est*, Psalm. XLV. 8.  
h. e. gloriose exornatus, & donis Spiritus S. infinitis instru-  
ctus, atque ad officium Messie inauguratus est.

§. 12. Denique Apostolus addit, *καὶ τῆτον ἐσταυρωμένον,*  
¶ *bunc crucifixum;* quo significat, quod non satis sit, Christum



quocunque modo scire & prædicare, sed requiratur, ut cognoscatur etiam & prædicetur, ut pro nobis crucifixus, mortuus & sepultus est. In cruce enim & morte Christi, quam pro humano genere passus est Christus, universum beatitudinis nostræ mysterium continetur. *Hæc crux, si elevata non fuisset*, scribit alicubi Augustinus, *universus populus in æternum periisset*, Sicut enim **בצרתו** in mortibus suis, i. e. morte sua excellentissima Esa. LIII. 9. ita quoque in crucifixione sua Christus posuit divitias, ut tam mors, quam crucifixio Christi sit instar cœlestis gazophylacii, in quo omnis divitiarum spiritualium sufficientia reposita est, ut exinde fide vera & viva desumi possit, quæ piæ sunt cogitationes B. Glassii circa locum cit. Esaia, *Grammat. S. tract. 1. can. 2.* Quemadmodum itaque Ezech. IX. 6. non occidebantur, quotquot in fronte **ת** gerebant, eoque signati erant, (per quod signum Hieronymus intelligit Hebræorum Tau, quod dicit apud Samaritanos formam crucis habuisse, & testatur Sanctius commentar. in loc. cit. in antiquis Hebræorum nummis Tau, inveniri in crucis similitudinem efformatum.) ita etiamnum servantur cruce Christi notati, h. e. qui crucifixum Salvatorem fide vera apprehendunt, sibi que applicant. De hoc Jesu Christo crucifixo ejusque cognitione tantopere gloriatus est Apostolus h. l. utpote qui probe cognitum habuit, hanc cognitionem omnem aliam naturalium ac mundanarum rerum notitiam multis post se parasangis relinquere.

§. 13. Non possum, quin dubio, quod ex versiculo hoc secundo moveri potest, breviter occurram: Scilicet dicit Apostolus, se nihil scire præter Jesum Christum crucifixum, unde sequi videtur, homini Christiano salvando suffiere notitiam solius Christi, si vel maxime in aliis Articulis



culis erret, aut eos plane non habeat cognitos. Respon.  
 Mens Apostoli non est, solius Christi notitiam homini  
 Christiano sufficere, sed ostendere vult excellentiam cogni-  
 tionis Jesu Christi, ejusque prærogativam, qua imprimis  
 præ omni sapientia mundana gaudet, & quidem duas ob  
 rationes, (a) quia in Christo crucifixo tot mysteria latent, ut  
 iis satis cognoscendis vix tota hominis vita sufficere possit,  
 (b) quia in Christo crucifixo omnis nostra salus fundata est,  
 & inde tanquam ex largissimo fonte omnia bona spiritualia  
 in nos derivantur, quod de nulla scientia mundana, quocun-  
 que tandem nomine veniat, imo ne quidem de omni Arti-  
 culo fidei dici potest. Alias vero certum est, fidem Chri-  
 stianam non ferri in solum Christum crucifixum, sed & in  
 alia, quæ divinitus revelata sunt, unde a Theologis nonnul-  
 lis fides dicitur copulativa, quod Articuli ejus tanquam  
 annuli in catena cohæreant: Si quis itaque gloriatur de  
 Scientia Christi, neget autem v. g. personarum in Deitate  
 Trinitatem, aut mortuorum resurrectionem vel similem  
 Articulum, Scientia Christi crucifixi nulla erit.

§. 14. Sed qualisnam tandem in Paulo fuit, quærat  
 quis, Scientia Christi crucifixi, & quamnam in Corinthiis  
 suis scientiam Jesu Christi crucifixi sua prædicatione optavit  
 produci Apostolus? Id certum esse credo, scientiam nu-  
 dam, sive cognitionem, quæ est sine assensu, nec fuisse in  
 Apostolo, nec in votis eum habuisse, ut sola hæc Corinthiis  
 suis Evangelii prædicatione produceretur; Fuit ira-  
 que Scientia Pauli, quam etiam in Corinthiis suis  
 produci desideravit, conjuncta cum assensu, eoque speciali,  
 quo credit peccator ad se quoque spectare, quæ Christus  
 Jesus crucifixus fecit & passus est, se propter Jesum cruci-  
 fixum peccatorum remissionem & salutem æternam conse-  
 cutu-

cuturum esse, & in hoc Christi merito unice fiducia sua recumbit, quæ est ipsa justifica & salvifica fides, de qua plura addere instituti ratio non patitur, qui accuratam ejus explanationem desiderat, legat venerandi Dn. Joh. Musæi *Disp. 3. de convers. c. 8. 721. seqq. 1. §. 95. sqq. 5. c. 3.*

§. 15. Ex his, quæ hæctenus ea, qua potui brevitate, adduxi, facile, credo, constat de sensu propositi dicti, quod scil. Apostolus hoc velit dicere: Poteram vobis Corinthiis alia proponere dogmata, alios inculcare Articulos: *Poteram, ut Theodoretus loquitur in hunc nostrum locum, de Theologia sive divinitate apud vos verba facere, vobis tamen solam incarnati Christi dispensationis doctrinam volui asserere, ut, qui in dominica passione glorier: Poteram etiam aliquo verborum ornatu ea, quæ scire vos volebam, proponere, attamen eloquentiæ strepitu, aut subtilioribus ratiocinationibus nolui me ostentare, quin potius judicavi, mihi tanquam Apostolo & Doctore vestro incumbere, ut id operam darem, quo imprimis de Christo Jesu, eoque crucifixo, qui fundamentum est, præter quod nemo aliud potest ponere, 1. Cor. III. II. informaremini, quare talem inter vos me gessi, quasi nihil aliud scirem, nihil aliud crederem, quam Jesum Christum, eumque crucifixum, ut eadem scientia, sive cognitio per verbum a me prædicatum in vobis etiam Spiritus S. virtute accenderetur & produceretur, & sua subinde caperet incrementa, atque Christus in vobis formaretur. Gal. IV. 19.*

§. 16. Nostrum, qui Christiani appellamur, est, Apostolum omni conatu imitari, & ita nos gerere, quasi nihil sciamus præter Jesum Christum eumque crucifixum, maxime vero hoc tempore, quo Christus Cruci suæ propior factus, tandemque ei affixus est, pietas nostra erga Salvatorem a nobis requirit, ut acerbissimam ejus passionem sancta reco-

recolamus memoria, ut crucem ejus nunquam animo elabi nostro sinamus, & cum Apostolo exclamemus; *Nos vero, absit, ut gloriemur, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Gal. 6. 14.* Amor flagrantissimus, quo complexus nos est Salvator dulcissimus, postulat, ut vicissim ei amore nostro adhaereamus, ut omnis nostra cogitatio, imprimis hoc tempore, sit de Christo Jesu, eoque crucifixo, ut devotione nostra sub cruce stantes, *internis luminibus inspiciamus vulnera pendentis, sanguinem morientis, ut totus nobis figatur in corde, qui pro nobis fixus est in cruce, ut Augustinus loquitur Tom. VI. p. 837.* Nam, ecce, Pontifex noster seipsum offert & sacrificat in altari Crucis, & iram patris adversus nos sedat: Ipse est Mediator inter Deum & hominem, unde pendet inter caelum & terram, extendit brachia, ut, qui ardens erga nos Amor est, nos omnes ad se trahat. Hic impletum videas typum serpentis aenei in eo, qui vermem se vocat, Psal. XXII. nempe Christo crucifixo, quem quotquot vera fide aspiciunt, sanantur. Ejus dulcissimum & suavissimum nomen *Jesus*, quinque literis constans, secundum earum significationem est *Moerentium Jucunditas, viventium Aeternitas, dolentium Suavitas, egentium Libertas & langventium Sanitas*: Vel ut Bernhardus quasi jubilando loquitur, Serm. XV. super Cantica, & in florib. cap. CVII. *JESUS mel in ore, in aure melos, in corde júbilus. Lucet hoc nomen predicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit & ungit; respiciens sine dubio ad verba Ecclesiae, Cant. I. 3. Oleum effusum (est) nomen tuum.* Nam sicut oleum fragrans est, corporis dolores mitigat, illudque debile confortat: ita, ajente Anselmo in Meditat. *Jesus est nomen dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & nomen beatae spei. Quid tam necessarium perditis? quid tam optabile miseris? quid tam utile despe-*

C

*desperatis?* quærimus merito cum eodem Bernhardo, *serm. VI. in vigil. natal. Domini.* Ut igitur memoria sacro hoc tempore recolere queam Salvatorem meum Jesum, totam de eo doctrinam paucis complecti, & præter ea, quæ hæctenus fuerunt allata, placidæ disquisitioni submittere decrevi.

## CAPUT II.

### §. 1.

**D**Octrina de Christo ad duo reduci potest Capita, quorum alterum de persona, alterum de officio Christi agit.

§. 2. In doctrina de persona Christi duæ considerandæ veniunt naturæ, ex quibus Θεῶν Θεωπος constat, divina, quam per æternam generationem a Patre accepit, & humana, quam in tempore in utero virginis Mariæ assumpsit: Hæ duæ naturæ unam constituunt personam, quæ simul DEUS & homo est.

§. 3. Sicut autem hic Articulus ductu luminis naturæ non est cognoscibilis, sed longissime rationem humanam, ejusque captum superat; ita subinde reperti fuerunt, qui rationi nimium indulgentes, modo divinam, modo humanam Christi naturam negarunt & impugnarunt. Post *Judeos*, qui miraculis omnem virtutem creatam excedentibus induci non potuerunt, ut Christum pro vero DEO haberent, sub nomine Christiano plures hæretici tela sua in Christi divinitatem converterunt, quos inter numerat *Irenæus lib. 1. adver. hæres. c. 24. Carpocratem*, genere Alexandrinum, qui in Philosophia Platonica educatus unum DEUM summum statuit, plures vero DEOS inferiores asseruit: Hic de Christo docuit,

docuit, eum ex concubitu Josephi & Mariæ natum, & in hoc reliquis hominibus, plane similem fuisse, superiorem tamen animæ sanctitate. Huic subjungit *Irenaus l. 1. c. 25. Cerintum*, qui simili modo JESUM, Josephi & Mariæ filium, esse dixit, adeoque nudum hominem, plus factum potuisse justitia & prudentia & sapientia. vid. *Irenaus d. l. & Epiphan. bar. 28.* Eundem errorem erravit *Ebion*, (ex grege Socini *Ostorodus præfat. Instit. p. 10.* sine causa negat, unquam vixisse aliquem hujus nominis) conf. *Epiphan. heres. 30.* Secuti sunt *Alogi*, *Epiphan. bar. 51.* *Theodotiani*, *Epiph. heres. 54.* *Artemonitæ*, *Theodoret. l. 2. heret. fab.* Secutus est, ut brevitatibus causa alios mittam, *Seculo 4. Arius*, Alexandrinus Presbyter, cujus hæreseos summa huc redit: Unum esse verum & æternum DEUM, nempe Patrem, Filium autem non esse natura DEUM, sed creaturam ex nihilo factam, ante alias quidem res creatas, non tamen ab æterno, conf. *Athanasium Orat. 1. contr. Arian. Gelasium Cyzicen comment. Actor. Concil. Nicen. l. 2. c. 2. & 3. Epiphan. heres. 69.* Post Concilium Nicen. Ariani in diversas divisi fuere sectas: quidam Arium secuti, Filium ex non-entibus factum, Patri per omnia dissimilem esse contendebant, ut *Acacius, Casarea Palestine Episcopus*, & *asseclæ, Acaciani dicti, Ursacius, Tyri Episcopus, Eudoxius, Antiochiæ primum, deinde Constantinop. Episcopus*, a quibus *Ursaciani, & Eudoxiani* dicti fuere: Alii Filium Patri similem; Alii Filium Patri partim similem partim dissimilem docuerunt. Conf. *Job. Forbes. Instruct. Hist. Theol. lib. 2. c. 2.* Eodem seculo negavit Christi divinitatem *Photinus, Syriensis Episc.* videatur *Epiph. bar. 71.* *Seculo superiori impugnarunt Christi divinitatem Mich. Servetus, Ladius & Faustus Socini*, quos deinceps secuti sunt alii plures, quorum nomina brevitatibus ergo hic mittenda sunt.

§. 4. Contra tot hæreticorum monstra divinitas Christi solide ex Scripturis probanda est, id quod fieri potest (1.) ex Scriptura Novi Testamenti, Rom. IX. 5. Ubi Christus dicitur *Deus benedictus in Secula*, quod prædicatum solius veri & æterni Dei est, ceu inter alia patet ex Rom. I. 25. Insurgunt quidem contra hanc probationem Adversarii; *Socinus in refut. Wieki c. 5. Enjedinus, Volkel. de Ver. Relig. l. 5. c. II. Schlichting. commentar. in Epist. Rom. c. 9.* Sed nimis esset prolixum, si omnia, quæ adferunt, excutere vellem, quare conflictui, vel alii occasione hoc reservandum est. Addi potest locus 1. Joh. V. 20. Ubi cum mentio facta esset Filii DEi Jesu Christi, statim subjicitur, *Hic est verus DEus*. Excipiunt etiam ad hanc probationem Adversarii, *Socinus l. c. Volkel, l. c. c. 10. & Schlichting. comment. in 1. Epist. Joh. & alii;* sed mihi angustia temporis excluso non licet ea examinare. Plurimum ad hanc probationem confert etiam locus Joh. I. 1. ubi non solum *in principio λόγος* dicitur fuisse, ita ut nihil sit eo prius: sed etiam additur, *& DEus erat λόγος*, sive verbum. Quo ipso λόγος sive verbum, Deum esse, & quidem universi hujus creatorem, non obscure significatur. Conf. *Job. XX. 28.*

§. 5. Præter loca allegata, in quibus Christus expresse Deus vocatur, adduci contra veritatis hostes possunt (2.) argumenta, in quibus major propositio ex veteri, minor ex N. T. desumpta est, ubi sc. id, quod in V. T. de summo Deo dictum est, in Novo Testamento ad Christum refertur, & de eo enunciatur. Hujusmodi parallelorum varia in Scripturis exempla occurrunt. Conferri potest *Numer. XXI. 5. 6, 7. cum 1. Cor. X. 9.* Deinde confer. *Psal. XCVII. 7. cum Hebr. I. 6. Psalm. CII. 26. cum Hebr. I. 20.* Hinc tale argumentum pro divinitate Christi formo: *De quo in V. T. Num. XXI. 5. seqq. dicitur, quod tentatus fuerit ab Israelitis. Ps. XCVII. 7.*

*incur-*

*incurbate vos ei omnes* DII. Ps. CII. 26. *quod terra fundamenta fecerit, is verus, aternus, & natura DEUS est.* Atqui de Christo hæc dicuntur, *E. verus, aternus & natura Deus est.* Major clara erit, si evolvantur loca V. Testamenti: Minoris veritas ex allegatis Novi Testamenti locis facile perspicitur. Hoc probandi genus valde vexat Socinianos, ut vix solidi quid adferre queant.

§. 6. Succedit aliud argumentorum genus, fundatum in illis Scripturæ locis, quæ testantur, Christum esse Filium Dei unigenitum, Filium Dei proprium, Joh. 1. 14. 18. Rom. II. 32. Argumentum ex his tale neci potest pro Christi divinitate: *Quicumque est Filius DEI, unigenitus Filius Dei proprius, ille est verus, aternus & natura DEUS. Christus est talis.* Ergo. Minorem probant allegata loca: Majorem probo ex eo: quia Filius unigenitus, Filius proprius est ejusdem essentia cum eo, a quo genitus: Qui ergo Filius DEI unigenitus, DEI filius proprius est, est ejusdem essentia cum DEO gignente, & consequenter verus, æternus, & natura DEVS. Hic vero observo, quod quando Filius DEI a Patre genitus dicitur, non sit intelligenda generatio Physica, quæ est mutatio a non esse ad esse in subjecto, de qua agit Aristot. *l. V. Phys. c. 1.* Sed locum hic habet tantum generatio viventis, quam describit Thomas part. 1. quæst. XXVII. art. 2. *quod sit origo viventis a principio vivente conjuncto, secundum rationem similitudinis in natura, cujus definitionis partes omnes conveniunt generationi Filii DEI, quod si opus esset, pluribus ostendi posset.* Et si autem generatio Filii DEI non est Physica, non tamen inde inferre licet, quod sit generatio improprie dicta, sed sicut Filius DEI proprie est Filius, ita ejus generatio proprie sic dicta generatio est.

§. 7. Aliud genus argumentorum suppeditant nobis illa Scripturæ loca, quæ Christo tribuunt ea, quæ soli Deo alias conveniunt: Ex his tale formo argumentum: Cui in Scriptura tribuuntur ea, quæ solius DEi propria sunt, is verus, æternus & natura DEus est. Atqui in Scriptura S. Christo tribuuntur ea, quæ solius DEi propria sunt, E. Christus est verus, æternus & natura est DEus. Major nulla probatione indiget. Minor probatur, quia (1.) Christo competit æternitas, quæ solius DEi est. Prov. IIX. 22. *Jehova possidebat me principio via sua, ante opera sua, ante tunc, vel ullum tempus.* i. e. Ego Sapientia DEi hypostatica (Filius DEI) eram apud DEum; jam tum, cum creatione rerum omnium impressurus esset vestigia Majestatis suæ, hæc vero juxta Scripturam est æternitatis descriptio, Conf. Joh. I i. Mich. V. 1. quod Christi מֵעַד מֵעַד egressiones, i. e. generatio eoque excellentissima (quam excellentiam significat pluralis) sit *מֵעַד מֵעַד a principio, ante dies seculi*, quæ rursus est descriptio æternitatis, & innuitur æterna generatio. (2.) Christo per se competit immensitas, infinitas & omnipræsentia. Matth. XII. 20. *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Sane ubique locorum esse, ubi duo vel tres in nomine Christi congregati sunt, requirit infinitatem, immensitatem & omnipræsentiam: Intelligi autem hoc volo de eo, cui per se competit, ubique locorum esse, ubi duo vel tres congregati sunt &c. Talem oportet immensum & infinitum esse: alias Christo secundum humanam naturam etiam convenit, esse ubique locorum, ubi duo vel tres congregati sunt in ejus nomine, sed hoc ipsi non convenit per se, sed vi unionis personalis cum divina λόγος natura, quæ per se immensa & infinita est, & per communicationem idiomatum. (3.) competit Christo a-

*mmipo-*



*omnipotentia*, Joh. V. 19. Christus de se ipso dicit: Quæcunque fecerit Pater, hæc *ὁμοίως* similiter & Filius facit. Qui autem simili modo *ὁμοίως* facit, quæ DEUS Pater per suam omnipotentiam facit, is utique, æque ac Pater omnipotens est. Atqui Christus. E. Adde Ebr. I. 3. Ubi Christus *omnia verba potentia sua portare dicitur*, qui sane actus est, qui omnipotentiam præsupponit. (4.) Omniscientia Christo tribuitur, Joh. II. 25. ubi *sciuisse dicitur, quod esset in homine*: Joh. XXI. 17. *Domine, tu omnia nosti.* (5.) Creatio hujus universi Christo competit, Joh. I. 3. *omnia per ipsum facta sunt*, scil. quæ creata & initio producta sunt. Nam quod Sociniani intelligi putant omnia, quæ ad Evangelium spectant, id sine ratione & contra textum asseritur, cum v. 10. *Mundus per ipsum dicitur factus, mundus vero non significat ea, quæ ad Evangelium spectant.* Neque obstat, quod in casu obliquo omnia per ipsum facta esse dicuntur: Hac enim Phrasi non aliqua essentia divinæ inæqualitas inter *λόγον* & Patrem, sed ordo tantum inter personas divinas innuitur, ut dicatur Pater fecisse omnia per Filium, quod Pater sit a se ipso, verbum autem sive Filius a Patre. Alias Filius in casu recto dicitur *facere ὁμοίως, quæ Pater facit.* Joh. V. 19. Denique pro divinitate Christi argumentum suppeditant loca Scripturæ, quæ Christo cultum divinum asserunt, Joh. V. 23. Ebr. I. 6. Hinc tale formo argumentum: *Cui per se cultus divinus, in adoratione, invocatione fiducia consistens, competit, is verus æternus & natura DEUS est. Atqui Christo. Ergo. Hic veritas cœlestis splendore suo adeo ferit Socinianorum oculos, ut alii hoc, alii alio modo eum declinare conentur. Sunt enim qui Minorem negant, sed obstat locus cit. Joh. V. 19. Sunt, qui negant Majorem, sed adversatur illis locus Es. 42, 8. ubi DEUS ait; se gloriam suam alteri non daturum esse, ad gloriam DEI autem spectat*

Et

Etat præprimis cultus divinus. E. & hunc Deus alii non permittit, sed sibi soli servat; & consequenter, cui cultus divinus competit, is Deus est. Studio autem dixi, *per se*, cui *per se* cultus divinus competit, is DEUS est. Nam humanæ etiam naturæ Christi cultus divinus competit, non tamen *per se*, sed per unionis personalis gratiam.

§. 8. Satis pro instituti ratione de divina Christi natura, transeo nunc ad alteram Salvatoris mei naturam, nempe humanam considerandam, ubi rursus varii variorum errores occurrunt. Hic enim reperias in Ecclesiastica Historia, qui Christo corpus humanum denegarunt, & spirituale nescio quod corpus de cælo delatum, ipsi tribuerunt, sicut Tertullianus errorem Valentini depingit: videas hic contententes, Christum in solo phantasmate absque humana carne fuisse, nec natum, nec passum, quod Tertull. Cerdoni & Marcioni, Epiphan. *heres. 24.* Basilidi tribuit: alios cernas permittentes quidem Christo carnem humanam, sed sine anima rationali, quod Epiphan. *her. 77.* Apollinarium docere testatur. Sed nimis longum foret, si omnes, quas contra humanam naturam satanas concitavit hæreses, recensere vellem. Addam tamen Anabaptistas, quos Forbesius alicubi in Instruct. Histor. Theol. Flandros vocat, qui sicut unionem personalem penitus tollunt, adeo ut ex communione sua illos, qui eam docent atque amplectuntur, excludere soleant, ita asserunt: Essentiam Filii DEI divinam transsubstantiatam, seu mutatam esse in carnem, eamque non ex Mariæ virginis sanguine productam, sed in Mariæ uterum delatam. Sed hanc transsubstantiationem nec in Scripturis expressam video, neque qua ratione per bonam Consequentiã inde deduci possit, intelligo: certe, si penitus nugatorum istorum sententiam perpendo, non video

deo, quomodo contradictionis laqueum effugere queant. Existimant Filium DEI mansisse id, quod erat, & essentiam divinam Filii transsubstantiatam esse in carnem, unde non possunt non duæ hæ contradictoriæ resultare, essentiam Filii DEI divinam transsubstantiatam esse, ut ipsi asserunt, & essentiam Filii DEI divinam non esse transsubstantiatam, quia juxta illorum sententiam mansit Filius DEI, quod erat, quod autem manet quod erat, non transsubstantiatur. Præterea nullus dubito, quin hi homines essentiam Filii DEI spiritualem esse agnoscant, at vero ex spiritali & immateriali fieri materiale, v. g. carnem Christi, ex eorum numero est, quæ fieri non possunt, Forsan dicent, intelligi carnem seu corpus spirituale; sed respond. si spirituale est id, quod materiæ expers est, rursus contradictionem non effugiunt: Caro enim spiritalis seu corpus spirituale est, quod materiæ est expers, & non est expers, quæ manifesta contradictio.

§. 9. Contra prædictos & similes errores pugnandum esse puto seqq. Argumentis. (1.) Quod Christo partes hominis essentielles tribuuntur in Scriptura *S. corpus & anima. Corpus*, Matth. XXVI. 26. Ebr. I. 14. *Anima*, Matth. XXVI. 38. Luc. XXIII. 46. Hinc (2.) passim in Scriptura *homo* appellatur. Luc. XXIII. 47. I. Tim. II. 5. *homo Christus Jesus. Filius hominis*. Matt. II. 20. Joh. III. 13. (3.) *Conceptio Christi* in Virgine Maria describitur, Luc. I. 31. & narratur, quod *deprehensa fuerit gravida*. Matth. I. 18. dicitur *Maria peperisse Filium suum primogenitum*. Luc. II. 7. dicitur *Christus circumcissus*, ut alii masculi, Luc. II. 21. Hæc & similia omnia arguunt in Christo humanam naturam.

§. 10. Cum tribuitur Christo natura humana, notandum, quod humana natura dupliciter spectari queat (α) cum propria subsistentia, qualis est in quovis homin

D

secun

secundum ordinarium naturæ cursum ( $\beta$ ) absque propria subsistentia; non priori, sed posteriori modo in Christo datur humana natura: Si enim cum propria subsistentia in Christo esset, essent in eo duo supposita, duæ personæ, quod Nestorius sensit. Est igitur in Christo humana natura sine propria, nempe humana subsistentia, ut tamen non plane sit sine subsistentia, cum subsistat humana Christi natura subsistentia Filii DEi. Non quidem ignoro, phrasin hanc, *humanam Christi naturam subsistere*, (scil. subsistentia λόγος) non esse Wendelino ad palatum *lib. 1. Theol. Christ. c. 16.* quia sc. juxta ipsum, quod subsistit, persona est. Humana autem Christi natura non est persona, E. non subsistit, adeoque nec subsistentia λόγος subsistit. Sed responsio facilis est. Sciendum itaque, quod humana Christi natura alia ratione dupliciter considerari possit. (1.) *præcise*, sine subsistentia λόγος; si h. m. Wendelinus consideravit humanam naturam, pugnavit cum larvis; conceditur enim, quod h. m. spectata humana Christi natura non subsistat. (2.) considerari potest humana Christi natura, ratione subsistentiæ λόγος, quatenus hujus particeps facta est, h. m. negatur in argumento Minor, quod humana Christi natura cum divina subsistentia λόγος sumta non sit persona, ad personam enim præter naturam intelligentem & subsistentiam nihil requiritur: Si igitur humana Christi natura cum divina natura ejusque subsistentia spectatur, est ipsa persona Θεανθρώπου.

§. II. Inter duas has in Christo naturas intercedit unio, non qualiscunque, sed personalis. Ubi observandum, unionem inter duas Christi naturas sumi dupliciter. (a) pro actu. (b) pro statu. Ille respicit hunc, tanquam terminum suum, & consistit in actu transeunte, quo duæ natu-

ræ

ræ in Christo unitæ fuerunt. Hæc vero consistit in permanentia, seu quod naturæ unitæ manent, & a quibusdam describitur, quod sit naturarum distinctarum (divinæ & humanæ) in una persona sibi invicem præsentissimarum *περιχώρησις* inconfusa immeatio, propter quam una natura non sit extra aliam, nec salva unitate personæ esse possit. Et sane negari non potest, quod divina natura humanæ unita, humanam naturam undique immeet & permeet, sed videtur unio personalis pro statu sumta plus importare, quam talem *περιχώρησιν* nempe *περιχώρησιν* ad unam *λόγῃς ὑπόστασιν* terminatam, ut unio personalis pro statu sumta sit naturarum sibi invicem præsentissimarum, seque immean-  
tium perpetua & inseparabilis in una hypostasi *λόγῃς* subsistentia.

§. 12. Sicut hæc unio magnum est mysterium; ita antiqui Ecclesiæ Doctores omnem adhibuerunt operam, ut dextre explicaretur, & contra hæreses defenderetur: Unde in Synodo Chalcedonensi, propter hæresin Nestorianam & Eutychem constitutæ fuerunt ejus notæ quædam, quod facta sit 1. *inconfuse*. 2. *inconvertibiliter*. 3. *indivisibiliter*. 4. *indistanter*. 1. *inseparabiliter*. Etsi enim quod ultimam notam attinet, in triduo mortis facta est aliqua separatio, animæ sc. a corpore, quatenus soluta fuit unio naturalis inter corpus & animam, tamen non soluta fuit unio personalis, sed mansit humana natura materialiter, sive ratione partium, corporis & animæ, spectata, unita cum divina natura. Hæc observanda sunt contra Nestorium & Eutychem, quorum uterque, sed sententia e diametro contraria, unionem personalem negavit. Nestorius enim dum negavit Mariam esse *θεοτόκον*, dissolvit unionem personalem, & duas fecit personas. Eutyches vero contendens, huma-

D 2

nam

nam naturam esse in divinam conversam, confusionem iniecit. Damnavit Nestorium Synodus Ephesina, & approbata simul fuere duodecim capitula, quæ ipsi opposuerat Cyrillus Alexandrinus, quæ vulgo anathematis morum nomine veniunt. Similiter Synodus Chalcedonensis Eutychem damnavit: priores duæ notæ paulo ante adductæ Eutychemianam; duæ vero posteriores Nestorianam hæresin respiciunt.

§. 13. Unionem personalem *nostro concipiendi modo* sequitur, tum naturarum, tum idiomatum communicatio. Studio dico: *Nostro concipiendi modo*: quoad rem ipsam enim unio personalis, communicatio naturarum & idiomatum non differunt. Eo momento enim, quo naturæ inter se sunt unitæ, cœperunt & inter se habere communionem arctissimam, & proprietates in unitate personæ fuerunt communes: quoad nostrum tamen concipiendi modum inter tria prædicta est discrimen; prius enim concipimus, naturas inter se esse unitas, quam concipiantur communionem inter se habere, & hoc rursus est prius, quam proprietatum communicatio.

§. 14. Naturarum communicatio nihil est aliud, quam intima naturarum inter se unitarum communicatio, per quam fit, ut unius naturæ concretum vere dicatur de concreto alterius, sive ut DEUS vere sit & dicatur homo, & vicissim homo vere sit & dicatur DEUS. Hæ prædicationes vocari solent personales, & sunt plane singulares atque inusitatae, sive spectemus unionem, tanquam earum fundamentum, sive modum prædicandi. Quod unionem personalem attinet, in qua fundantur propositiones personales, ea singularis est, & inusitata; cum in universa rerum natura simile exemplum non detur, qua natura aliqua, absque  
pro-

propria sua subsistentia assumta fit in hypostasim alterius, ad constituendum unum suppositum: Similiter singularis & inusitatus est modus prædicandi, quod sc. disparatum de disparato in casu recto & significato proprio prædicatur.

§. 15. Communicatio idiomatum seu proprietatum priusquam describatur, notandum, idiomata, i. proprietates h. l. dici quæcunque alterutri naturæ per se & formaliter competunt, sicut v. g. omnipotentia, æternitas, immensitas & alia per se & formaliter tantum divinæ naturæ competunt, licet humanæ naturæ etiam competant κατ' ἄλλο & per unionis gratiam, ideo sunt divinæ naturæ idiomata: Contra passum, crucifixum & mortuum esse, per se & formaliter humanæ naturæ competunt, ideo sunt idiomata humanæ naturæ.

§. 16. Veteres quando de communicatione idiomatum egerunt, sub hac appellatione unum tantum genus inculcare soliti sunt, quemadmodum & B. Lutherus & Melancthon: Reliqua duo genera a Theologis nostris addicta sunt, ut sic in univ. sum tria numerari soleant genera communicationis idiomatum.

§. 17. *Primum genus est*, quo concreta utriusque naturæ mutuam omnium proprietatum communionem obtinent: Damasceno vocatur τρόπος ἀντιδόσεως. Solet communiter describi per prædicationem, quæ descriptio tamen a posteriori tantum est. Si autem quærat, quænam prædicationes spectent ad primum genus. Resp. (1.) Illæ, in quibus idiomata divinæ naturæ tribuuntur concreto humanæ naturæ, ut cum dicitur, Filius Mariæ fuit ante Abrahamum, Filius hominis est omnipotens, æternus &c. (2.) In quibus idiomata humanæ naturæ tribuuntur

tur concreto divinæ naturæ, ut DEus est passus, Dominus gloriæ est crucifixus. At dices, quid fiet de propositionibus, in quibus v. g. idioma divinæ vel humanæ naturæ tribuitur concreto personæ, sive toti personæ Christi, ab utraque natura denominatæ, ut cum dicitur, *Rom. IX. 5. Christus est ex Patribus secundum carnem, Christus est æternus, immensus*, annon & hæc ad primum communicationis idiomatum genus referendæ sunt? *Resp.* Si prædicatio per communicationem strictè sumitur, quatenus in ea prædicatum subjecto non formaliter competit, sed κατ' ἄλλο, propositiones, in quibus sive divinæ sive humanæ naturæ idioma de concreto personæ sive de persona ab utraque natura denominata, prædicantur, non sunt prædicationes per communicationem, quia prædicata in illis competunt subjecto formaliter, & consequenter tales prædicationes referri non possunt ad primum genus communicationis idiomatum. Verum hoc non obstante, existimo, propositiones, in quibus de concreto personæ prædicantur idioma, seu divinæ seu humanæ naturæ, posse referri ad primum genus, quia eandem cum illis prædicationibus, in quibus de concreto unius naturæ prædicatur idioma alterius naturæ, explicationem agnoscunt, scil. per particulas διακρίσιμὰς: Sicut enim in hac: *Filius DEI est passus*, adhibetur particula διακρίσιμή, h. m. quod *Filius DEI passus sit secundum humanam naturam*: ita etiam in hac: *Christus est passus*, eadem explicatio adhiberi potest, quod scil. *Christus non secundum divinam, sed humanam naturam passus sit.*

§. 18. Etsi autem in prædicationibus primi generis, ubi de concreto unius naturæ, prædicatur idioma alterius naturæ, prædicatum subjecto non convenit per se & formaliter, sed κατ' ἄλλο & ratione alterius naturæ, tales tamen prædi-



prædicationes non sunt verbales tantum, ut præter nomen nihil subjecto tribuatur, sed reales, quibus nomen & res significata subjecto vere tribuitur & realiter competit, sicut cum dico, *DEus passus est*, licet passum esse non competat DEO formaliter & realiter in divinitate, vere tamen & realiter DEO competit in assumta, sibi que personaliter unita carne, quod enim supposito l. personæ competit, ratione unius partis, id vere & realiter supposito l. personæ competit; sicut v. g. vulneratum esse personæ Petri competit, non quoad animam, sed quoad solum corpus, vere tamen & realiter Petro competit. Hoc notandum propter ἀλλοίωσιν Zvinglianam. Zvinglius enim docuit, has prædicationes, *DEus est passus, Filius DEI ex Maria natus est*, per ἀλλοίωσιν explicandas esse, & per ἀλλοίωσιν intelligit modum loquendi improprium, quo alicui tribuitur aliquid, non quod ipsi vere & realiter competit, sed quod conveniat alteri, quod cum eo unitum est, adeoque in prædictis prædicationibus prædicata *passum esse, ex Maria natum esse*, negavit subjecto, nempe DEO, Filio DEI, vere & realiter competere, sed sensum esse, Deus, i. e. humana natura Dei unita, est passa, Filius Dei, i. e. humana natura Filio Dei unita, nata est ex Maria virgine, quæ explicatio Nestorianismo favet & unionem personalem tollit. Si enim DEUS non est passus, sequitur, quod alius, qui a DEO est diversus, sit passus: Si ergo is, qui passus est, a DEO est diversus, sequitur in Christo duos esse, quorum alter passus, alter non passus est, quæ fuit hæresis Nestoriana, unde B. Lutherus hanc Zvinglianam ἀλλοίωσιν tantopere averfatus est, ut larvam Diaboli eam vocare non dubitaverit.

§. 19. Secundum Genus communicationis idiomatum est, quo gloria & Majestas divina humanæ Christi naturæ communicata est, ut quæ λόγος habet per essentiam, illa  
 huma-

humana natura assumpta habeat per unionis gratiam. Per  
 Majestatem h. l. non tantum absoluta potestas & summa di-  
 gnitas, sed omnes Divinæ naturæ perfectiones intelliguntur,  
 & consistit majestatis divinæ communicatio in eo, quod hu-  
 mana Christi natura, etiam in abstracto sumpta, particeps fa-  
 cta est omnium divinarum perfectionum. Fundamentum  
 hujus communicationis est περιχώρησις, qua divina natura  
 (remota omni imperfectione) ita permeat humanam, ut  
 nullam illius particulam suæ hypostaseos & consequenter  
 sui ipsius expertem esse sinat, unde sequitur, quod etiam  
 suarum perfectionum eam non sinat expertem esse.

§. 20. Ut secundum genus rectius intelligatur, no-  
 tandum (1.) quod, licet humanæ naturæ Christi divina  
 idiomata sint communicata, non tamen ei competant sub-  
 jective & formaliter, sed formaliter ac per se competant  
 tantum divinæ naturæ, ita ut sint & maneat divinæ naturæ  
 idiomata, humanæ autem naturæ competant mediante  
 natura divina & vi unionis personalis, e. g. Omnipotentia,  
 Omniscientia, æternitatis, immensitatis reapse participes  
 facta est humana Christi natura, non tamen ut hæc idioma-  
 ta ei competant formaliter & per se, sed mediante divina na-  
 tura & vi personalis unionis, qua arctissime humana natura  
 cum divina est unita. (2.) Quod communicatio in hoc  
 genere non sit reciproca. Communicata quidem sunt di-  
 vina idiomata humanæ naturæ in Christo, non tamen vi-  
 cissim proprietates humanæ communicatæ sunt divinæ  
 naturæ, ratio est, quia humana natura finita est & perfectibi-  
 lis, communicata igitur ei sunt divina idiomata, ita, ut illam  
 perficiant: Contra autem divina natura infinita est &  
 immutabilis neque ulla perfectio ei accedere potest. (3.)  
 Cavendum hic ne confundatur communicatio cum præ-  
 dica-

dicatione, aut ne hæc ex illa semper inferatur. Omnia qui-  
 dem idiomatica divina humanæ naturæ sunt communicata,  
 non tamen de ea omnia prædicantur, sc. immediate & sim-  
 pliciter. e. g. æternitas & simplicitas divina communicata est  
 humanæ Christi naturæ, de ea tamen non prædicatur, ne-  
 que enim humana Christi natura est æterna, cum in utero  
 virginis cœperit, neque est simplex, cum partibus essentia-  
 libus corpore & anima constet: Cum vero dicitur, non  
 omnia idiomatica divina de humana natura prædicari, licet  
 ei sint communicata, dubium oritur, quænam ergo præ-  
 dicentur, quæ vero non prædicentur de humana natura?  
*Resp.* illa idiomatica non prædicantur de humana, inter quæ &  
 humanam naturam intercedit repugnantia, e. g. inter hu-  
 manam naturam, quæ ex corpore & anima est composita,  
 & simplicitatem intercedit repugnantia quædam, unde sim-  
 plicitas, licet sit communicata humanæ naturæ, de ea non  
 prædicatur, neque dico: humana Christi natura est sim-  
 plex. Inter quæ autem idiomatica & humanam naturam  
 talis repugnantia non intercedit, illa sicut sunt communica-  
 ta, ita etiam prædicantur de humana natura (4.) Commu-  
 nicatio majestatis divinæ facta est sine naturarum exæqua-  
 tione, sive ita, ut humana natura per eam non sit exæquata  
 divinæ naturæ, sed in se manserit finita, partes suas essentia-  
 les & proprietates retinuerit. (5.) Sine naturarum con-  
 fusione, manserunt enim hæc duæ naturæ distinctæ. (6.) Sine  
 transfusione idiomaticum ex divina natura in humanam.  
 Sed (7.) κατὰ συνδυασιν, secundum unionem, qua unum uni-  
 terum cum altero in unum suppositum ita coit, ut utriusq;  
 natura distincta manente, nihilominus alterum alterius  
 proprietatum vere & realiter fiat particeps. *vid. Form. Con-  
 sors d. artic. de Christo.*

E

§. 21.

§. 21. Communicationis divinæ Majestatis humanæ naturæ factæ consequens necessarium est, ut humana natura Christi æque cum divina colatur & adoretur, quod indicat Apostolus *Philipp. II. 9. 10.* & sicut unus est Christus, qui adoratur, una Majestas, ob quam adoratur: Ita etiam una est adoratio, quæ ad utramque Christi naturam, divinam & humanam terminatur. vid. Cyrillus anathem. 8. Cujus sententia est etiam Synodi Ephesinæ: adde tamen, quod divina natura sit unicæ illius adorationis objectum per se, quia per se habet divinam Majestatem, humana vero natura κατ' ἑαυτὴν propter Majestatis communicationem.

§. 22. Etsi autem humanæ Christi naturæ statim in utero virginis Mariæ Majestas divina fuit communicata, ut communicatio cum ipsa unione personali cœperit, exercitio tamen & usu plenario Majestatis communicatæ in diebus carnis, & sic ad certum tempus sese abdicavit, teste Apostolo *Pbil. II. 6. seqq.* & hic dicitur *status exinanitionis*, qui ab incarnatione & nativitate duravit usque ad descensum Christi ad inferos. Notanter dico, (α) Christum se abdicasse *usu communicatæ Majestatis*: ipsa enim Majestate se non abdicavit secundum humanam naturam. Dico (β) quod *usu communicatæ Majestatis se abdicaverit*, ut excludatur illorum sententia, qui docuerunt, Christum in exinanitione se non abdicasse usu communicatæ Majestatis externo & respectu creaturarum, sed eum incessanter retinuisse etiam secundum humanam naturam, eum tamen occultasse, quasi exinanitio Christi non in abdicatione usus communicatæ Majestatis, sed tantum in occultatione ejus consistat, quod non convenit cum sententia Pauli *Pbil. II. 7.* ubi dicit, quod Christus *ἑαυτὸν ἐκένωσε*, se ipsum evacuaverit, quæ verba sane non occultationem, sed abdicationem usus Majestatis com-

communicatæ important. ( $\gamma$ ) Christum se abdicasse usu Majestatis communicatæ plenario; Nam licet interdum, quando miracula patravit, radios Majestatis communicatæ emisit, & Majestate communicata quoad humanam naturam quodammodo usus fuerit, tamen non fuit usus plenarius.

§. 23. Hunc statum exinanitionis excepit alter, nempe exaltationis, ubi Christus omnem carnis humanæ infirmitatem exiit, & plenarium gloriæ & Majestatis communicatæ usum secundum humanitatem, sibi vindicavit, teste Apostolo, *Phil. II. 9. seqq.* Initia hujus status communiter ponuntur descensus Christi ad inferos, resurrectio a mortuis & ascensio in cœlos, consummatio vero sessio Christi ad dextram Patris. *Conf. Psal. CX. 1. Cor. XV. 25. Ephef. 1. 20. c. IV. 10.* Sicut autem exinanitio: ita etiam exaltatio Christo competit tantum secundum humanam naturam.

§. 24. Sequitur *Tertium Genus Communicationis* (quod a quibusdam secundo loco ponitur) quod concernit opera officii Christi, quæ peregit & peragit secundum utramque naturam, unaquaque quod suum est conferente, & cum alterius communicatione agente. Dico: utramque naturam hic conferre quod suum est, sicut v. g. ad satisfactionem concurrat natura humana patiendo, moriendo &c. divina natura, quod permisit naturam humanam sibi hypostatice unitam pati & mori, quod naturam humanam in ipsa passione corroboravit & sustentavit, it. quod passioni & morti infinitum valorem indidit.

§. 25. De prædicationibus igitur, quæ ad tertium hoc genus spectant, notandum, quod in illis prædicata non sint alterius, seu divinæ seu humanæ naturæ idiomata, sed



utrique naturæ communia ἀποδείγματα seu opera officii Christi; subjecta vero sunt nomina concreta personam Christi sive ab una, seu ab utraque natura denominantia: Præpositiones itaque ad tertium hoc genus spectantes, sunt e. g. *1. Cor. XV. 3. Christus mortuus est pro peccatis nostris. Gal. 1. 4. Christus dedit se ipsum pro peccatis nostris.* Ubi subjectum est nomen concretum, Christum ab utraque natura denominans. *Filius DEI dissolvit opera Diaboli. 1. Job. III. 8. Filius hominis venit ad servandum animas. Luc. IV. 56.* Ubi in priori concretum divinæ, in posteriori concretum humanæ naturæ loco subjecti ponitur.

§. 26. Superest, ut breviter agam etiam de officio Christi, quod consistit in peragenda DEI voluntate de nostra salute, quo spectat, quod *Pf. XL. 8.* dicitur: *Ecce venio, in volumine libri scriptum est de me, facere tuam voluntatem delector.* Hæc vero voluntas DEI de salute nostra, ad quam faciendam Christus in hunc mundum venit, complectebatur plura, nempe ut voluntatem DEI de Salute nostra hominibus annunciaret, ut pro hominibus satisfaceret, eosque DEO reconciliaret, & ut reconciliatis atque redemptis præesset, eos regeret, defenderet & conservaret: Unde triplex constitui solet Christi officium, *Propheticum, Sacerdotale & Regium.*

§. 27. Officium Christi Propheticum est, quo consilium DEI de salute nostra nobis revelavit, & functus est hoc officio partim *immediate*, quando ipse in his terris prædicavit verbum, & homines de iis, quæ creditu, quæque factu necessaria erant, informavit, Legem a corruptelis Pharisæis repurgavit, Apostolos ad ministerium obeundum instruxit, & quicquid decet fidelem doctorem, præstitit;  
partim

partim *mediate*, per Apostolos, quos ad prædicandum emisit, aliosque Ecclesiæ ministros, juxta illud *1. Cor. XII 28. Alios in Ecclesia posuit primura Apostolos, deinde Prophetas, tertio doctores &c.* Respicit vero officium Christi Propheticum non solum doctrinam ipsam, quam Christus, ut Propheta, partim immediate, partim mediate annunciavit, sed & doctrinæ hujus efficaciam. Sicut enim doctrina dependet a Christo: ita efficacia est ab eodem, unde *1. Cor. III. 7.* dicitur, *neque eum, qui plantat, esse aliquid, neque qui rigat, sed DEUM dare incrementum*, ut sc. doctrina efficax sit, in cordibus hominum. E. & Christus, cum verus DEUS sit, dat incrementum, non solum ut DEUS, sed etiam ut homo. Non solum autem Christus functus est officio Prophetico in statu exinanitionis, sed etiam nunc quodammodo eo fungitur in statu exaltationis, quando mittit Ecclesiæ doctores, eosque donis instruit, per eos docet, hortatur & per doctrinam eorum efficaciter operatur.

§. 28. Officium Christi Sacerdotale duabus absolvitur partibus (1.) *Satisfactione pro peccatis.* (2.) *intercessione apud DEUM pro peccatoribus.* *Satisfactio* peracta est obedientia partim activa, qua ultro Legi se subjecit; eam pro nobis implevit, & nos a maledictione ejus liberavit. Conf. *Gal. IV. 4. Rom. IIX. 3.* (3.) partim *passiva*, qua Christus semet ipsum DEO Patri obtulit victimam in cruce. Conf. *Eph. V. 2. Christus tradidit se ipsum pro nobis oblationem & victimam DEO, in odorem bonæ fragrantie.* Etsi autem Christus satisfecit obedientia activa & passiva, tamen imprimis Sacerdotis rationem habuit ratione obedientiæ passivæ: unde Epistola ad Ebræos, quando ex instituto agit de Sacerdotio Christi, illud imprimis considerat in ordine ad obedientiam passivam, qua in mortem ignominiosissimam se tradidit, & in ara

Crucis se, tanquam victimam, obtulit. Altera pars officii Sacerdotalis consistit *in intercessione* apud DEum pro peccatoribus, vi meriti & satisfactionis a se præstitæ. *Conf. Ebr. III. 25. c. IX. 24.* Facta est hæc intercessio in diebus carnis quandoque sensibili voce & actu humili: postquam vero ad dextram DEI exaltatus est Christus, vi meriti intercedit, quatenus DEum Patrem movet virtute meriti, ut propitius sit peccatoribus, quo ipso non nego, Christum in statu exaltationis etiam verbis intercedere, non tamen actu humili, qualis tantum statui exinanitionis convenit. Ad hoc officium imprimis respicit Apostolus in dicto nostro exposito *1. Cor. II. 2.*

§. 29. Denique officium Christi Regium est, quo ut *θεοῦ* seu Deus & homo in cælo & in terra regnat, imprimis vero Ecclesiam suam gubernat, & adversus hostes potenter defendit. Fungitur autem Christus officio suo Regio in hoc & futuro Seculo: In hoc Seculo Regnum habet Potentiæ & Gratiæ: Regnum Potentiæ consistit in dominio super omnia, quo cælum, terram & omnia, quæ in illis continentur, ut Deus & homo gubernat. Regnum Gratiæ est ipsa Ecclesia, ubi Christus, tanquam caput in subditos præstat influxum, fidem & alia dona spiritualia confert, Ecclesiam defendit, partim hostium conatus infringendo, aut limites illis ponendo, partim vitibus gratiæ instruendo, ut hostibus spiritualibus resistere queant. In Seculo futuro habet Christus Regnum Gloriæ, ubi in cælo æterna gloria suos coronabit; ad hoc mortuorum resuscitatio & iudicium extremum, tanquam actus gloriosi, non male referuntur.

Sed temporis angustia, quæ brevitatem in hac dissertatione mihi imperavit, hic facere jubet

F I N E M.



ED - Beg 2002

01 A 6739



ULB Sachsen-Anhalt  
Ausschließen  
Datum: 2008

Sb.

D.

Reh. ✓

J.H.C.

46





PIA ME  
JESU CI  
EJUS  
CRUC

*Ex Aphorismo Pa*

SAN  
IN DISPUTATION

Ejusdem Crucifixi

EX DEC

VENERANDAE ET AMPLISSIMAE

IN CELEBERRIMA A

SUB PR

*VIRI Magnifici, Maxime Reveren*

DN. JOHAN

SS. Theol. Doctoris & Pro

tatis Theol. & totius Ac

DN. PRAECEPTORIS ET PATRO

AETATEM PI

PRO LI

CAPESSENDI SUMMOS IN

ET PRIVILEGIA

Publicæ disqui

JACOBUS FRI

Pastor & Inspector Dioceseo

Eblebie - Sch

AD DIEM XXIV. MAR

LITTERIS M

RECUSA A

